

## P R A E F A T I O.

**N**ovam Choephororum editionem paraturus eam secutus sum consilii rationem, ut expulsis Turnebi aliorum conjecturis meliorum librorum lectionem exhiberem, conjecturas in textum reciperem nullas, nisi de quibus dubitari non posset. Lectionum integra varietate, Virorum doctorum quae bonae frugis essent conjecturis, scholiasta denique adjectis curavi ut qui criticam factitare vellet, subsidiis quae opus essent non egeret. Commentario addito brevitatis laudem mereri studui ita, ut necessaria et digna scitu non praetermitterentur. Neque enim intelligentes fugit, quam facilis sit opera, si quis prolixè agere velit, ut commentarius Aeschyleus mole sua laboret; at quid attinet, quaeso, aut recoquere atque adeo docte refutare quae vana atque inutilia esse hodie omnes sciunt, aut fabulam in tironum usum adornare quae a tirone legi non debeat? Meas conjecturas textui nunquam intuli, non quod indignas omnes quae reciperentur judicarem (neque enim me accinxissem operi periculosae aleae pleno, nisi quae a Viris doctis probari possent nonnulla me allaturum sperarem, et animum faciebant Virorum, quorum summa apud me auctoritas, iudicia), sed nimiae cautelae malebam quam temeritatis argui. Caeterum aequum censorem reputare velim, de iis quae conjecerim ipsum minime idem sentire. Sunt nonnulla, quae vera esse nobis quidem firme